

nitatem; quatenus, sicut ii, qui gradum, & officium membrae acceptatunt, Communitatis bonum procurare tenentur, idque ab ea avertire, unde eidem malum, seu damnum evenire potest; ita & hujusmodi Praefecti, semel ac Hospitalis curam, & administrationem suscepere. Ex officio namque tenentur & ipsi Hospitalis bono invigilare, istud illi procurare, diligenterque curam impendere, ne subrepatur aliquid, unde ipsimet Hospitali, aut infirmis in eo hospitantibus ullum malum, seu damnum evenire possit. Atqui huic officio, ac obligationi defuerunt, cum elegerunt Sergium ab ipsis cognitum non quidem inhabilem, sed ceteris concurrentibus minus habilem; sic enim eum elegerunt, qui minus ac ali scit discernere quosdam morbos, ac per consequens est minus aptus opportune eisdem congruas assignare medicinas: Ergo &c. Accedit, quod si elegerunt cognitum ut minus habilem victi precibus, ac muneribus, haec fuit electio per subornationem, quae sane illicita est, ac juxta Rebellum de Oblig. part. 1. lib. 3. quest. 7. irrita reddit electorum suffragia, subornantemque incapacem electionis, ex omnium fere Universitatum constitutionibus. Item est injuriosa aliis concurrentibus, Sergio habilioribus, ac acceptatio personae; siquidem justitia distributiva videtur exigere, ut etiam officia sacerdotalia conferantur dignioribus, & aprioribus, in commune bonum, ut subdit iudeant se reddere magis aptos, & alio post studium non cogantur abire ad panem sibi lucrandum, ut late prosequitur Cunigliani de Just. §. 1. num. 6. Dicendum est ergo, quod sicuti peccaret Medicus, si omessa medicina certo efficaci pro restituenda salute, ægri o aliam ordinaret, quæ solum probabilitate ipsi afferret sanitatem; ita peccaverunt in casu Electores præferendo Sergium minus habilem aliis concurrentibus magis habilibus; præcipue cum id fecerint precibus ac muneribus victi, adeoque admissa subornatione, & ageretur de electione Medici pro infirmis, quibus charitas urget subvenire omni meliori modo possibili.

CAS. II. Titius pater infantis, recenter natus, absque ulla necessitate filium suum baptizat vidente & consentiente propria Uxore, filii Matre. Q. an uterque possit petere, ac reddere debitum?

Respondet cum Salmanticensibus de Matrim. cap. 15. punct. 5. num. 14. probabilitus videri quod sic. Ratio est, quia licet aliqui canones eorum separationem in casu praescribere videantur, eo quia Titius Uxorem suam sibi commatrem efficit, ut constat ex sec. par. Decreti can. 30. quest. 1. can. 1. & 2. tamen vel hi intelligendi sunt sub conditione quod maritus & Uxor inducatur ad continentiam deinceps servandam; vel de separatione usquequo de peccato commissa perdiruerint, ut explicat ibi Glosa in expositione questionis, v. Quod autem. Et sane in quinque canonibus subsequentibus ibidem contrarium dicitur, ac signanter in can. 5. ubi de eo agitur, qui filium suum baptizavit, & Uxor ejus eum de fonte suscepit; & tamen hoc ibi sancitur: Si conjuges legitimi, unus, aut ambo ex industria fecerint ut filium suum de fonte susciperent, si inupi (hoc est separati, & a copula abstinentes) permanere voluerint, bonum est; sin autem, gravis paenitentia insidiatori injungatur, & simul maneat. Ergo per antiquos Canones non est iis absolute praescripta separatio, sed paenitentes de malo perpetrato pos-

in

sunt

sunt simul manere, & sic uterque petere, ac reddere debitum. Addo, quod sicuti maritus Uxorem suam sibi efficit commatrem baptizando communem filium; ita sibi eamdem commatrem efficit illum tenendo ad solemnum Baptismum, ut definivit Bonifacius VIII. in cap. Nedum de Conc. Spir. in 6. ac Tridentinum sess. 24. de Reform. cap. 2. & tamen in hoc secundo casu Alexander III. cap. Si vir, vel Mulier de Cogn. Spir. respondit: Quamvis generaliter sit institutum, ut debent separari: quidam tamen humanius sentientes, aliter statuerunt: Ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ad invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possit induci. Ergo idem dicendum in primo, qui est casus noster. Hinc Glossa ibid. V. debitum adnotans quod Pontifex dixit: Nec alter alteri debitum debet subtrahere, proponit sibi hoc quæsumus: Sed numquid potest exigere? Et respondet: Non inventimus prohibitum in hoc casu, quod non exigat; ergo nec nos prohibeamus. At dices: Alexander III. post citata verba subjungit hanc rationem: Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus patrocinari non debet. Jam vero, inquit Abbas, patrocinaretur, si non privarentur jure petendi. Hinc sicuti qui stante Matrimonio, vovet castitatem, aut contrahit affinitatem per copulam cum Consanguinea Conjugis, potest quidem reddere, sed non petere: ita idem dicendum de Titio in casu, si non de Uxore, eo quod de baptismatione, non vero de consensu in hujusmodi actum jura loquuntur. Sed contra, nego assumptum Abbatis cum subsequenti illatione; cum enim ille, qui malitiose baptizat, vel tener, ideo hoc faciat, non ut possit petere (quod ipsi liberum est, adeoque ab eo potest abstinere, si vult), sed ne teneatur reddere; tunc ei sua fraus, seu malitia vere patrocinaretur, quando posita illa actione, eximeretur ab onere reddendi Conjugi petenti; ad quod Pontifex opime advertens, declaravit ipsum omnino teneri reddere, ob hoc ne illi sua fraus patrocinetur. Ad allatas postea paritates disparitas sumitur ex diversa dispositione Canonum in iis, ac in nostro; necnon ex qualitate materiarum odiosarum, in qua sumus, quam restingi debere, & non ampliari, uno ore clamant omnes Juristæ, ac Theologi, quorum magnam partem nostræ subscribere opinionem, facile est adinvenire penes Giribaldum, Suarez, &c.

CAS. III. Maurilio defuncto, ejus cadaver ad Ecclesiam postridie delatum fuit, ac persolutis exequiis, tumulatum. Sed quia vellent Defuncti haeredes etiam diem tertiam, ac septimam celebrare: Q. an à die obitus, an vero à die depositionis sint computandas?

Respondet. diem tertiam, ac septimam hoc in casu computandas esse à die depositionis, seu tumulationis, ac sepulturæ. Ratio est, quia dies tertia, & septima, & etiam trigesima, sunt sequela quædam Missæ cantatae Exequiarum tempore, quibus à Rituale eadem Missa interseritur. Atqui in casu Missa cantata, & Exequiarum persolutæ fuerunt in die depositionis, seu tumulationis ac sepulturæ, cum cadaver dicatur postridie delatum ad Ecclesiam, ac persolutis exequiis, tumulatum: Ergo à tali depositionis, non autem à die obitus dies tertia, & septima sunt computandas. Addidi nihilominus in responsione illa verba in hoc casu, quia si contingat, Missam ac Exequias

quan-

quandoque persolvi in ipsa die obitus, tunc & ego censeo átali die tertiam & septimam, quemadmodum & trigesimam, esse computandas, etiam si tumultatio cadaveris ob aliquam causam differatur per aliquot dies; non enim præfatae dies sunt sequela depositionis cadaveris, sed Missæ exequialis, quæ propterea, si persoluta fuit in die depositionis, ab hac prædictæ sunt computandæ. Neque dicas sic falsificari illa Orationis verba: *Pro anima famuli tui, quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti.* Quemadmodum enim si ob occurrentis impedimentum transferri debeat Anniversarium à proprio die obitus Testatoris in aliud diem non impeditum, adhuc verificantur illa Orationis verba: *Cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, quæ proinde ex Decreto S. R. C. 22. Decembris 1753.* neque eo tunc sunt varian- da, eo quia, ut ajunt Dialectici, significatio talium verborum per distractionem refertur ad tempus suæ verificationis; ita ob eamdem rationem verifi- catur etiam significatio prædictorum. Cæterum mā supra per nos stabilita com- putatione diei tertiae, ac septimæ velim ne idem inferas quoad diem anni- versariam, hujus enim numeratio petitur à vera die obitus, ut optime admo- net ex variis S.R.C. decretis, P. Cavalieri in *Agend. Def. tom. 2. cap. 4.*

### MENSE MAI.

**CAS. I.** **C**UM vinea quædam locari soleat à Communitate plus offerenti, prævidens Cajus eamdem locandam Titio, istum amice rogat, ut pretium exhibeat quidem, quod vult; at non augeat supra id, quod of- ferret ipse Cajus: quo factum est, ut Cajo offerenti pretium paullo minus vinea sit locata. Q. an sive Cajus, sive Titius liceat egerint.

Respondeo, sive Cajumi, sive Titium probabilius illicite egisse. Ratio utrius- que est: quia, licet Cajus solis precibus induxit Titium ad non augen- dum oblationem supra id, quod ipse erat oblatus; & prima vice Titius revera obtulerit, quod à principio offerre volebat: tamen, quia hic des- titutus ulterius offerre ex condicione cum illo, speciem quamdam monopolii simul ambo struxere, contrarium justitiae, ac naturæ hujus contractus; cum post oblationem Caji vinea non subhastrata, sed per initum monopolii soli oblationi Caji subiecta remanserit. Uterque igitur illicite egit, quia ambo simul struxerent monopolium; quia ineundo contractum, opera- ti sunt contra naturam contractus; ac demum quia sic se gerendo fuerunt in causa, quod vinea paullo minus vendita fuerit, cum damno Communi- tatis. Vide quæ dixi in casu huic affini, anno 1750. in responsione ad 2. Junii; & etiam P. Cunigl. de Empl. & Vend. §. 4. num. 8. Neque dicas, saltem Titium à culpa excusari, eo quia sicuti ante Caji suasionem liber erat ad licitandum, vel non; ita liber erat ad desistendum ab ulteriori oblatione post oblationem Caji. Contra enim, hoc verum esset, si quoad hanc desistentiam prius non convenisset; non autem quoad hanc, simul facta inter ipsos prævia conventione; nam in hoc casu non destituit sponte, sed ratione conventionis.

**CAS. II.** Sponsi de futuro animadvententes, Parochum nolle eos unire in Matrimonium, ni prius Christianam Doctrinam addiscant, in fraudem

Parochi alio pergunt ad habitandum, & quamprimum ibi Matrimonium contrahunt. Q. an tale Matrimonium subsistat.

Respondeo affirmative. Suppositis enim vero animo, & facto, animo sci- licet ibi figendi domicilium, ac vera fixatione habitationis cum animo præ- dicto, sunt veri incolæ talis loci, à cuius Parochio propterea possunt valide jungi in Matrimonium. Nec refert, quod eo se transtulerint in fraudem prioris Parochi, & quod bene non calleant Doctrinam Christianam; neutrū enim est impedimentum dirimens, ac per consequens, iis non obstan- tibus, subsistit initum ibi inter ipsos Matrimonium. Et de facto cum S. Con- gregationi Concilii propositum fuerit hoc dubium: *An valeat Matrimo- nium eorum, qui se transferunt in locum, in quo non est promulga- tum Concilium Tridentinum, eo solo animo ut ibidem sine Parochio, & Testibus contrahant.* S. Conc. Congregatio die 14. Augusti. 1627. respon- dit: *valere, si domicilium vere transferatur, ut constat ex Notif. 13. tom. 2. §. 8. Benedicti Papæ XIV.* ergo cum supponatur, sponsos, de quibus est sermo, vere transtulisse domicilium in locum, in quo Matrimonium contraxerunt, dicendum est, quod matrimonium ibi ab eis contractum subsistat. Oppositum nihilominus dici debet de iis, qui alio se transferunt absque animo relinquendi prius domicilium, ibique novum acquirendi, & cum solo animo ibi contrahendi Matrimonium coram Parochio illius loci, ac dein revertendi ad locum propriæ habitationis: horum siquidem Matri- monium ita contractum nullum est, & invalidum, ut declaravit eadem S. Conc. Congregatio die 22. Februarii 1731. uti adnotatur in præfata Notifi- catione; ac videri potest apud Giribaldum novæ impressionis Bononiensis de Sacram. Matrim. cap. 7. num. 49.

**CAS. III.** Defuncti cadavere exposito in Ecclesia A, cantata fuit ibi Missa de Requiem in festo duplice. Q. an eodem cadavere exposito die sequenti, pariter duplice, in Ecclesia B, nova Missa de Requiem ibi cantari possit.

Respondeo cum distinctione. Vel agitur de duobus festis duplicitibus primæ Classis, vel de aliis festis duplicitibus. Si de duplicitibus (intellige, non cele- brioribus) primæ Classis, dico, etiam exposito die sequenti eodem cadavere in Ecclesia B, non posse ibi cantari novam Missam de Requiem. Ratio est, quia in tantum S.R.C. declaravit hisce diebus posse præsenie in Ecclesia cadavere unicam Missam solemnem de Requiem celebrari, in quantum se- cundum Rubricas Ritualis Romanæ absque Missa, quantum fieri potest, defunctorum corpora non sunt sepelienda, ut constat ex verbis Decreti ab eadem Congregatione emanati 2. Septembris 1741. & per integrum à no- bis relati supra in responsione ad Cas. 3. Martii. Cum ergo pro tali defunc- to Missa sit jam celebrata in Ecclesia A, video, quantum licet talibus die- bus eidem suffragari per celebrationem Missæ de Requiem, jam ipsi suf- fragatum est, ejusque honori consulum; & sic nova Missa solemnis de Re- quiem nequit pro eo celebrari sequenti die in Ecclesia B, quamvis sit alia dies, ac diversa Ecclesia: quemadmodum cantata pro defuncto ab uno Capitulo in die obitus una Missa de Requiem in Ecclesia A, nequit ibidem pro eodem cantari eadem die alia Missa de Requiem à diverso Capitulo. Unde tota libertas ante Missæ cantum hiscè diebus ad hoc reducitur, quod ista Mis-

Missa pro defuncto cantari potest vel in die obitus, vel in die depositionis sequente; quod melius est, si tali die fiant exequiae, & corpus tradatur sepulturae. Et fortasse ob hoc Missa dicenda in tali circumstantia inscribitur disjunctive: *Missa in die obitus, seu depositionis defuncti*; ut notat Cavalieri in Agen. def. cap. 3. Decr. 4. num. 8. Si agitur postea de aliis duobus festis duplicitibus; dico utique posse, eodem cadavere exposito die sequenti pariter duplice in Ecclesia B., novam ibi Missam de Requiem cantari, eo quia in istis duplicitibus, presente corpore, & præcipue cum agitur de die depositionis, etiam in festis de precepto cantari potest alia Missa solemnis de Requiem, ut diximus in responsione ad Cas. 3 Januarii.

## M E N S E J U N I I .

CAS. I. Clericus verbis altercando cum alio Clerico, hunc manu de loco suo aliquantis per dejectit. Q. an incidenter in excommunicationem Canonis: Si quis suadente diabolo.

Respondeo negative, seclusa quacumque alia circumstantia, reddente hanc dejectionem externe graviter injuriosam. Ratio est, quia hujusmodi dejectio de se, ac objective modica est, nec pertingens ad peccatum mortale; si enim simplici sacerdotali facta fuisset, inquit Bariola cons. 22. nec magni fieret, nec attenderetur. Jam vero ad incidendum in excommunicationem Canonis: Si quis suadente diabolo; non sufficit percussio modica, nec pertingens ad peccatum mortale; ut communiter tradunt Theologi, & Canonistæ, ea freti ratione, quod cum major excommunicatio reservata, sicuti est ista, sit poena gravissima, non nisi ob mortale crimen incurritur. Addidi nihilominus in responsione illa verba: *seclusa quacumque alia circumstantia &c.* eo quia fieri potest, quod dejectio, seu percusio, de se levius, immo levissima, ratione alicuius peculiaris circumstantie evadat graviter injuriosa: puta ratione spectabilis qualitatis personæ læste, ut si percutiatur Episcopus, Abbas, Prælatus Monasterii, Judex, aliusve in dignitate constitutus; aut ratione loci, temporis, &c. circa quæ vide Alphonsum de Ligorio de Excommunicatione cap. 2. dub. 4. art. 4. num. 278, & in hisce casibus deiciens etiam aliquantis per, aut leviter percussiens Clericum, suadente diabolo, incidit in præfatam excommunicationem, ut notant Suarez disp. 72. sect. 2. num. 26. Palaus, Bonacina, Sperellus, & alii, quos referunt de Ligorio l.c. num. 273. subdens, talem Canonem, utpote in favorem Clericorum emanatum, non stricte, sed latissime esse interpretandum. Et in dubio, an percusio sit levis, vel gravis, gravem potius declarandam esse, ac reservatam, clare habetur in extravag. Perlechtis, relata à Navar. in Min. cap. 27. num. 914.

CAS. II. Cum vetitum sit tenere, ac legere libros prohibitos. Q. an quilibet Confessarius absolvere valeat hujusmodi lectores, ac detentores? Et quid quoad libros eis prescribendum?

Respondeo quoad primam partem cum distinctione. Vel isti legerunt, ac detinent libros hereticorum, heresim continentes, seu de Religione tractantes; aut libros Auctoris suspecti de heresi, expurgatione indigentes, ac non-

nondum expurgatos; vel denique libros agentes de Astrologia, seu divinatione ex astris futurorum contingentium, & à libero arbitrio pendentium; & in hisce casibus dico, non posse quemlibet Confessarium absolvere hujusmodi lectores, ac detentores, saltem si in materia notabili, ac scienter eosdem legerunt, ac detinent. Et ratio est, quia horum omnium lectio, ac detentio prohibita est sub excommunicatione reservata, ut patet quoad præfatos libros hereticorum ex Bulla Cœnæ Domini; & quoad libros cuiusvis Auctoris suspecti de heresi, &c. ex Const. Cum sicut S. Pii V. ac demum quoad libros de prædicta divinatione ex astris, ex motu proprio tum Sixti V. cum Urbani VIII. Vel legerunt, ac detinent alios libros prohibitos; & tunc dico, quemlibet Confessarium posse absolvere hujusmodi lectores, ac detentores, eo quia etiam quando lectioni horum librorum est anhexa excommunicatione, hæc non est reservata, ut videre est utrum ex regulis Indicis librorum prohibitorum, cum ex P. de Ligorio de excommunicatis, dub. 4. art. 5. Cunigliati de Lib. Prohib. §. 1. Bonacina, & aliis, qui etiam casus exprimunt, in quibus lectio hujusmodi librorum, aut eorum detentio, nedum est graviter peccaminosa, verum etiam sub excommunicatione prohibita, & quando non. Quantum postea ad secundam partem dico, eis præscribendum esse, ut tales libros realiter, & cum effectu consignent Inquisitori; quamvis enim nonnulli asserant, ab ipsis eos posse comburi, vel aliter distrahi; tutius nihilominus est eos effectiva consignare Inquisitoribus, quia ita de facto præscribit Julius III. in secunda Constitutione, ab ipso edita pro Sacro Inquisitionis Officio.

CAS. III. Die festo, quo magnus est ad Parochiale Ecclesiam populi concursus, Parochus, ne Ecclesiam impediatur, cadaver Titii defuncti exponi curat in alia Ecclesia, à Parochiali non longe dissita. Q. an tunc possit in Ecclesia Parochiali celebrari Missa de Requiem cum cantu?

Respondeo cum distinctione. Vel agitur de festo proprie de præcepto, quo scilicet intervenit obligatio audiendi Sacrum, necnon abstinendi ab operibus servilibus: vel de die festo tantum quoad forum, aut quoad chorum. Si primum, dico, eo runc celebrari non posse in Ecclesia Parochiali Missam de Requiem cum cantu. Ratio est, quia tum Rituale Romanum tit. de Exeq. num. 5. & 6. cum Decreta S. R. C. declarantia, quod hisce diebus possit cum cantu celebrari unica Missa de Requiem, disseminate exponunt cadaveris presentiam in Ecclesia; & si hoc ibi præsens non sit, inquiunt quidem, in die depositionis defuncti posse adhuc celebrari cum cantu unicam Missam de Requiem in festo duplice alicuius Sancti, sed quod non sit de præcepto: ut fieri manifestum legenti Decreta, quæ attulimus in responsione ad Cas. 3. Januarii. Ergo si cadaver Titii defuncti non reperiatur expositum in Ecclesia Parochiali, sed in alia, quamvis ab hac non longe dissita, nequit in Parochiali tunc celebrari Missa de Requiem cum cantu. Addo, dispensationem quoad hujusmodi Missam in die festo de præcepto nedum concedi ut defuncti suffragetur animæ, verum etiam ut corpori, dein pro semper dimittendo, exhibito convenienti ritu, ac funebri pompa, signa honoris præsentur; ut notat Cavalieri in Agen. cap. 3. dec. 4. n. 10. Sed hæc circa corpus locum non habent, semel ac corpus est alibi: ergo &c.

&c. ideoque &c. Nec opposas, S. R. Cong. die 29. Januarii 1752. absolute edidisse sequens Decretum, relatum à Talù sub num. 1262. *Missa tamen unica solemnis insepolto corpore celebrari poterit etiam in Dominicis, & festis diebus, non tamen solemnioribus primæ classis; ubi non dicitur præsente corpore, sed insepolto corpore celebrari poterit, &c.* Contra enim, per corpus insepoltum S. R. C. ibi intelligit ipsum corpus præsens, uti colligitur, non ex uno, sed ex pluribus quoad hoc à S. C. R. editis Decretis, quorum aliqua jam in antecedentibus protulimus; adeoque alia proferre, supervacaneum existimo. Si postea agatur de die festo tantum quoad forum, vel chorum, tunc censeo, quod si sit tantum duplex, possit in Ecclesia Parochiali celebrari Missa de Requie cum cantu, si sit dies depositionis defuncti. Ratio est, quia *Missaæ exequiales defunctorum in die depositionis defuncti possunt solemniter celebrari diebus, in quibus cadit festum duplex alicujus Sancti, dummodo non sit festum de præcepto juxta Rubricas Breviarii Romani*, prout die 29. Septemb. 1652. declaravit S. R. C. Atqui dies festus tantum quoad forum, vel duplex præcise quoad Chorum, non est festum de præcepto, nam per festum de præcepto declaravit S. R. C. die 11. Maii 1754. illud intelligi, cui annexa est obligatio audiendi Sacrum, & abstinendi ab operibus servilibus: Ergo &c. Dixi tamen, si sit dies depositionis, eo quia Decreta S. R. C. de tali die loquuntur, & sic ad alias dies extendi non debent, nisi sit dies tertia, septima &c. quæ juxta dicta in præfata responsione sunt pariter privilegiatae. A fortiori celebrari poterit dicta Missa in Ecclesia Parochiali, si festum sit *duplex ad libitum*; hoc enim ex Decreto S. R. C. 18. April. 1744. relato à Talù num. 112, cedit officio semiduplici de præcepto; ac proinde sicuti Missa etiam privata defunctorum dici possit in die Officii semiduplicis, multo magis celebrari poterit in Ecclesia Parochiali præfata Missa cum cantu in festo quoad chorum officii tantum duplicit ad libitum.

### MENSE JULII.

**CAS. I.** *S*ergius mutuavit Cajo quinquaginta, & Cajus totidem expendit pro expediendis negotiis Sergii, quæ de hujus mandato agebat. At quia de mandato, ac pecunia expensa constare non potest, de mutuo vero constat. Q. an stante dicta reali compensatione, Cajus simpliciter jurare possit se solvisse?

Respondeo, videri quod sic. Ratio est, quia compensatio est quædam solutio l. si cum filio ff. de compensat. & vera satisfactio, liberans ab ære alieno solvendo. Propterea si Cajus agens de Sergii mandato revera totidem expendit pro Sergio, seu pro expediendis hujus negotiis, quot mutuo ab eodem acceperat, nihil obstat videtur quominus simpliciter jurare possit se solvisse. Neque dicas, jurantem aliquid restituere in specie, proprie obligationi non satisfacere reddendo æquivalens, ut diximus anno proxime elapso in responsione ad Cas. 2. Novemb. ex cap. Ad nostram de jurejur. Et sic neque Cajum, qui solvit æquivalenter, posse simpliciter jurare quod solvit. Contra enim, concessso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu ipsum juramentum parit, & fundat obligacionem

nem restitutionis; unde cum ipsum non impleatur per æquivalens, sed exequi debeat in forma specifica; hic fit, quod qui juravit aliquid facere, vel restituere, teneatur facere, vel restituere rem juratam in specie, & suæ obligationi non satisfaciat dando æquivalens; puta, dando dotem, cum juravit ducere puellam. Ab opposito in nostro secundo casu juramentum nullam obligationem parit, sed est mera contestatio satisfactionis jam factæ per debitorem; unde cum hic revera satisficerit, sive id peregerit per solutionem veram ac formalem, sive per solutionem fictam, & æquivalentem; id est per compensationem, semper verificatur aliquo modo quod solverit; & sic non video, cur Cajus absolute, ac simpliciter dicere non possit, immo jurare, se solvisse.

**CAS. II.** Puella foeta adit Confessarium imperitum, eidemque exponit, se agi in desperationem, ac esse paratam vel semetipsam veneno occidere, vel potionem sumere ad expellendum fœtum. Id audiens Confessarius, consulit ei sumptionem potionis, tamquam minus malum: quo ab ea peracto, sequitur abortus fœtus animati. Q. an Confessarius incident in casum reservatum?

Respondeo negative. Una siquidem ex conditionibus requisitis ad incidendum in Casuum reservationem, est, quod intervenerit mortale peccatum: quidquid enim sit, an valeat reservari quod mortale non est; hoc tamen est certum, quod de facto solum mortalia reservantur, ut passim monent Doctores. Jam vero Confessarius in casu, licet revera consuluerit quod de se mortale est, nempe potionis sumptionem ad expellendum fœtum; quod utpote naturæ contrarium, ac malum ab intrinseco, nec ad evitandam mortem, vel infamiam, directe certo numquam fieri potest; cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. Tamen quia id consuluit bona fide, ex ignorantia, & ad evitandum maius malum; ideo hoc consulendo non peccavit mortaliter; & per consequens non incident in casum reservatum, quantumvis de eo verificetur, quod dederit consilium procurandi abortum, ac secutus de facto sit abortus fœtus animati. Et ratio est, quia hujusmodi Confessario non est propriæ imputabile in ratione homicidii voluntarii; prout reservatur in hac Diœcesi, immo nec ipsi est formaliter voluntarium in ratione mali. Neque dicas, quod in eo ista ignorantia est culpabilis, ideoque nec ipsum excusat ab incursu in reservationem. Contra enim, etiam transmisso, quod talis ignorantia sit in eo culpabilis, ad summum id probat, quod non sit ob hoc immunis à peccato. At quia, ut dixi, illa procuratio abortus non est ipsi formaliter voluntaria in se; nec in causa proxima, quantum ad formalem rationem mali, & rationem homicidii voluntarii, ideo Confessarius in casu non incident in reservationem casus. Mazzucchellus, Giribaldus, & alii.

**CAS. III.** Cum juxta superius dicta etiam in festo dupli possit cantari Missa de Requie præsente cadavere, Parochus, expositis in Ecclesia eodem die duobus cadaveribus, duas Missas de Requie cantari curavit. Q. an recte?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia S. R. C. declaravit quidem, quod præsente in Ecclesia cadavere, possit unica Missa de Requie iis diebus ce-

lebrari; at non exclusit, nec vetuit pro unoquoque defuncto respectivam Missam consimilem, casu quo eodem mane praesentia sint in Ecclesia plura cadavera; immo cum in eodem Decreto diei 2. Septembris 1741. referat, ac approbet Rubricas Ritualis Romani, statuentes ut defunctorum corpora, quantum fieri potest, non sepeliantur absque Missa, implicite videtur innuere, quod si simul in Ecclesia duo cadavera sint praesentia, & pro neutrō ex iis defunctis celebratum sit, possit pro quolibet respectiva solemnis, Missa tali die celebrari antequam sepultura tradantur. Etenim cum Ecclesia sit pia Mater respectu utriusque, non uni magis, quam alteri velle suffragari presumpitur. Accedit allatum decreterum ipsissimum defunctis esse potius favorable, cum eo tendat, quod defunctus non careat convenienti suffragio, & particulari honore minime priveratur, ut notavit etiam P. Cavalieri in Agend. cap. 3. dec. 3. num. 6. Ergo si Parochus, expositis in Ecclesia eodem die duobus cadaveribus, duas Missas de Requiem cantari curavit, unam scilicet pro unoquoque, recte se gessit.

## M E N S E A U G U S T I.

CAS. I. **S**acerdos octogenarius habens Beneficiū simplex, vult vendere omnes fructus, quos ex eo percipere potest toto tempore vita suæ; & convenire cum emptore, ut totum pretium unica solutione, ad praesenti pecunia sibi persolvatur. Q. an licite id fieri possit tam ex parte venditoris, quam emptoris.

Respondeo, nec ex parte venditoris, neque ex parte emptoris id licite fieri posse. Ratio est, quia hujusmodi venditio esset species quedam alienationis; quemadmodum enim species alienationis est locare ad totam viam fructus Beneficii, ideoque in Extrav. Ambitiosae de Reb. Eccl. non alien. prohibetur Beneficiariis sub pena excommunicationis, locare fructus sui Beneficii ultra triennium; ita &c. Accedit hujusmodi venditionem pluries verari in Sacris Canonibus, ut simoniacam; de facto Glossa ad cap. Si quis objecerit quæst. 3. inquit: *Quidam simoniaci excusabant se, dicentes, se non emere præbendas, sed fructus præbendarum. Sed dicit Paschalis, quod si quis pro temporali fructu pecunias offerat, sine quo Ecclesiasticum Beneficiū esse non potest, neutrum invenditum derelinquit.* Denique cum Beneficia Sacerdotibus confrantur, ut ex eorum fructibus congrue, ac decenter sustententur, si iis licet unica venditione abdicare omnes fructus Beneficii pro toto tempore sua vita, fieri posset quod alicui quandoque deesset ista congrua, & decens sustentatio, ab Ecclesia intenta favori gradus Sacerdotalis; proindeque dicendum est, tam ex parte venditoris, quam emptoris illicitam esse prefatam venditionem. Hinc Benedictus Papa XIV. Constitutionem edidit IV. Kalend. Septemb. anno 1741. incipientem: „Universalis Ecclesiæ cura, in qua omnibus Clericis quacumque dignitate, præminentia, honore, & priuilegio insigniti interdicit, ac prohibet, ne in posterum aut eam sub nomine alienandi utilitatem, & commodum accipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore, vendere, ac distraheret suorum respectivæ Beneficiariorum. Sedditus, & provenitus, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore, per unam, vel plures solutiones,

C. 888A

pe-

„pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per ejusdem temporis, vel viæ spatum probabiliter consequi potuissent, sub pena excommunicationis, & nullitatis actus, seu contractuum, & omnium inde consecutorum; aliisque poenis inflatis, præscriptis, & statutis, contra alienantes bona Ecclesiæ: quas ruitus hic contra eosdem Clericos sic contrahentes renovare, decernere, & statuere intendit, & vult. Insuper omnes hujusmodi contractus damnat, reprobat, cassat, irritat, & annullat eosque nullos, cassos, ac irritos decernit, & declarat; illosque suis auctoribus tamquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes viribusque, & effectu ab initio vacuos, neque extra, ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi plures juramento firmati, & vallati fuissent; sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum possidendi, aut præscribendi, per quodvis longissimum temporis spatium acquiri umquam posse, præcipit, & jubet. Ex quibus verbis colligitur, quod cum Pontifex ibi prohibeat, & damnet hujusmodi contractus, iidem illiciti sunt tam ex parte emptoris, quam venditoris.

CAS. II. Titius abortum foetus procuravit, quo secuto, reprehenditur, illum fuisse animatum. Cum autem renuat simplex Confessarius illum absolvere, Titius inquit, se quando abortum procuravit, de animatione foetus ne quidem cogitasse. Q. an absolvit possit? Respondeo videri probabilius quod non. Ratio est, quia procurando voluntarie abortum, studiose apposuit causam proximam ejectionis talis foetus, adeoque foetus animatus, immo in se voluit, ac directe procuravit ejusdem ejectionem, quæ fuit causa proxima ejus mortis. Jam vero ut quis reservationem incurrit, & à simplici Confessario absolvit nequeat, sufficit, secuto effectu, quod id vel in se voluerit, vel in sua causa proxima; ut patet in eo, qui propinat alteri venenum mortificum, quamvis actu non intendat illius mortem, ac de morte inferenda formaliter non cogitet. Neque dicas, mortem in casu sequi præter intentionem; & mortis causam fuisse appositam, solum materialiter, non vero formaliter, prout ad incurrēdam reservationem requiritur. Contra enim, nego utrumque assumptum: siquidem dici non potest sequi omnino præter intentionem quod ad actum appositorum sequitur necessario, ac ex natura rei, cum ille qui vult antecedens, dicatur velle etiam necessarium consequens, nec sit necesse ad contrahendam formalem malitiam, quod quis ad eam explicite actu reflecitat, sed satis sit, quod de ea cogitet in actu exercito, & sub aliqua cogitatione confusa facile obvia; sic v. g. ut Sacerdos, peccans contra castitatem, contrahat malitiam sacrilegii, non est necesse, quod tunc actu explicite cogitet de voto castitatis a se emisso, sed sufficit, quod de illo cogitet saltem exercito, & sub aliqua cogitatione confusa facile obvia, ut de communissima Theologorum sententia tradit. Viva ad 2. prop. damn. ab Alexandro VIII. quoad peccatum philosophicum num. 3. Idem ergo dici debet de Titio in casu nostro, cum in actu exercito procurationis abortus, fore ei facile obvia saltem confusa aliqua cogitatione foetus animatus. Hinc, ob defectum explicitæ cogitationis de animatione foetus, ipsum quidem lib-